



N. 60. 3.

SYMBOLAE CRITICAE

AD

INTERPRETATIONEM VATICINIORVM

HABACVCI

SCRIPTAE

INDICENDAE PRAELECTIONI PUBLICAE

IN INAUGURATIONE DOCTORATVS THEOLOGICI

HABENDAE

A B

HENRICO CAROLO ALEXANDRO  
HAENLEIN

PHILOS. DOCT. P. P. O. ET AEDIS ACADEMICAR.  
ANTISTITE SACRO

ll.

---

ERLÄNGAE  
TYPIS KVNSTMANNIANIS  
MDCCXCV.



**Q**uod alio quodam loco me vberius ali-  
quando expositurum promisi, hymnum  
Habacuci, qui nunc tertium vaticiniorum huius  
prophetae caput occupat, e contextu suo eruptum,  
capitique secundo restituendum videri, \*) id nunc  
data occasione argumentis, quantum quidem pro  
rei indole id fieri poterit, criticis et hermeneuti-  
cis, confirmare atque roborare apud animum  
constitui. In quo negotio cum ultra probabilem  
veritatis speciem vix illa euahi queat fententia,  
me suscep tam in me prouinciam rite admini-  
strasse arbitrabor, si, praemissis aliquot obserua-  
tionibus super critica V. T. indole, necessariaque  
textus hebraici emendatione, et defensa dignitate  
conjecturalis criticae, quae altioris nonnunquam  
indaginis est ea, quae colligendae lectionum  
variantium farragini, exsculpendasque litterarum  
ducti.

\*) Vid. commentatio mea de *Theophaniis et Chri-*  
*stophaniis* in libro menstruo: *Neues theologisches*  
*Journal.* Vol. II. Fas. II. p. 93 seqq.

A

ductibus omnem operam, summumque studium impedit, primum difficultates, quae capitis tertii interpretationi obstant, ordinisque interrupti in vaticiniorum Habacuci volumine vestigia monstrauero, deinde transposito capite tertio, eoque intercalato inter capitis 2 versum 4 et 5, omnia faciliore ordine procedere, arctioreque nexus cohaerere vatis sacri carmina ostendero, denique argumenta, quibus eiusmodi transpositio impugnari posse videatur, nil contra nostram opinionem valere, eandem potius aliunde quoque, ex comparatione similium V. T. carminum, nouum robur sibi comparare posse, probauero. Itaque lectores peritos veniam mihi concessuros esse puto, si in opinionum magis certamine, quam in veritatis demonstratione, huius opusculi cardinem versari sentiant.

Superfluum fere videtur, post celebratos Kennicotti, Rossique, labores, postque iterata sagacissimorum sacri codicis interpretum, critico-rumque ingenii et doctrinae laude florentium studia, si quis denuo sacri textus paginas a mendis et interpolationibus vacuas haud mansisse, nec codicum aut versionum ope integritatem omnium locorum proflus restituiri posse, monstrare velit. Ea enim est, ut omnes norunt, librorum V. T.

an.

3

antiquitas, tantaque apographorum conseruato-  
rum et deperditorum semper fuit copia et varie-  
tas, ut miraculo, cuius nulla vllibi exstat pro-  
missio aut vestigium, opus fuisset singulari, si  
prouidentia diuina omnes, qui unquam in de-  
scribendis V. T. oraculis desudarunt librarios,  
eosque ignaros saepe linguae et significationis  
ac sensus librorum, ad quos depingendos magis  
quam describendos mercede conducti erant, ab  
omni oculorum lapsu, silique vitio liberos fer-  
vare voluisset. At enim vero fac vel singulo  
cuidam librario humani quid in describendo co-  
dice sacro accidisse, ab eoque vel transposita  
textus capita, vel addita aut demta quaedam,  
sive consulto, sive ex incuria, iam proximis  
ab origine librorum temporibus fuisse, nonne  
idem vitium per omnes ex hoc fonte deri-  
vatos codices manare debuisse, existimandum  
erit? An non eandem labem, quae in seniori-  
bus libris omnis aeui et cuiuscunque linguae fac-  
piissime deprehenditur, etiam in singulis locis  
apographa vetustissima, omniumque, qui ad no-  
stros usus supersunt, sacri textus testium aetatem  
antiquitate superantia, nonnunquam maculare po-  
tuisse arbitrabimur? Vnde nobis tanta fiducia,  
vel potius negandi, quae aperta sunt, et affue-  
randi, quae nullo modo probari possunt, solisque

opinionum commentis sufficiuntur, peruvicacia? Habemus N. T. volumina, multis saeculis recensiona iis quae V. T. nomine comprehenduntur, habemus testes genuini horum voluminum textus, qui vix duobus saeculis ab eorum origine absunt, testes, qui lingua graeca N. T. vernacula vtebantur, horumque librorum indolem facile nosse poterant; at quis contendere audebit, horum librorum textum critica integritate adhuc gaudere, nec ullibi interpolatum, affectum, deperditum esse, quis perficta fronte assuerabit, nihil in hisce voluminibus transpositum, nil demtum aut additum vñquam fuisse, et testium ope omnia iam plana et perspicua reddi posse, ita ut criticus conjecturalis ope textus graecus prorsus carere possit. \*) Quanto magis illa ope

\*) Videantur quae de hac re WETSTENIUS in prolegg. N. T. et MICHAELIS in introductione in libros N. T. §. 100 seqq. VOGEL, vir S. V. in egregio libello de conjecturae usu in crisi N. T. Altorfii 1795, disputarunt, quibuscum conferri poterunt introductionis nostrae in libros N. T. pars prior cap. 3. pars posterior cap. 2 seqq. et cel. MARSHI additamenta ad MICHAELIS introductionem in libros N. T. Tom. II. part. 2. p. 833 — 836. ed. anglicanae p. 412 seqq. edit. teutonicae a celeb. ROSENMÜLLERO procuratae.

ope indigere textum hebraicum librorum V. T. putabimus, cum probari nequeat pandectarum hebraicarum collectores post exilium integros aut plures, eosque semper accurate descriptos, codices nactos esse, librarios falli nescios, apographa, quae mille annorum et quod excurrit plurium saeculorum spatio ab autographis distant, castigatissima semper fuisse, maforetharum crisia omni exceptione maiorem, veterum interpretum studia et subsidia omnibus numeris absoluta, veterum lectorum testimonia certa semper et fide dignissima esse? Verum enim vero non in singulis tantum litteris aut vocibus restituendis se exercere debet criticorum acumen, sed multo magis integris propositionibus, sectionibus, et libris, illud opem ferre, atque interdum, deficientibus disertis testimoniis, vel coniiciendo assequi debebit, qualis fuerit genuinus textus sacri habitus, aut quomodo primaeva illius pulchritudo et splendor restitui queat. Nec vñquam verendum erit, ne textus ipse ex his studiis damno aliquo afficiatur, dummodo acumen ingenii, et veritatis sensus, linguae accurata cognitio, et sensus indagandi solertia, argumentorum pondus, et asseverandi verecundia, in critico non desideretur, qui modeste semper, se nihil pro certo venditare, nec vñquam ultra veri speciem progredi, se nihil

aliis obtrudere, sed peritorum examini submittere,  
quaecunque sibi vero similia videantur, eorumque iudicium placide exspectare velle profitebitur.

Prae aliis autem V. T. libris, prophetarum reliquiae, et vatum hebraicorum carmina, illud auxilium critici, tum in singulis verbis, tum in integris propositionibus, capitibus, et librorum sectionibus, desiderare, latumque, et minus adhuc excultum, campum eiusmodi exercitationibus ingenii critici aperire, nobis videntur. Siue enim primum horum librorum ortum, et configurationem, siue eorum propagationem et conservationem, siue eorum collectionem et diuulgationem respicias, ubique se offerunt argumenta, tam interna, quam externa, quae opinioni nostrae fauent. Prolata sunt primitus haec oracula seruente spiritu a vatibus entusiasmo sacro corruptis, et saepius sine villa praemeditatione, coram regibus, sacerdotibus, populo, enunciata; deinde litteris consignata, mox ab autore ipso, mox ab eius auditoribus, mox a senioris aei hominibus, ad quorum memoriam ore tenus ea tradita fuerant; propagata porro in paucis apographis inter cognatos, aut familiares, et populares prophetarum, et seruata ab interitu, collectis dispersis foliis, a sacerdotibus aut eruditis,

tem-

tempore naufragii populi et literaturae israeliticae; deinde post varia fata, et decursum saeculorum, quae in patria et in exilio danno illa oracula afficere potuere multiplici, collecta denuo, et in maius corpus redacta, populoque tradita, extremis ante Christum natum saeculis, ab eruditis, quorum scientiam, subsidia, et fidem, nos nullo modo explorare possumus; translata postea in graecam linguam ab ignotis Iudeis in Aegypto commorantibus, et in chaldaicam ab anonymis interpretibus, ob interpretandi facultatem parum laudandis; descripta denique et reviva, denuo recognita et edita, a librariis et criticis, quibus partim lingua originalis penitus ignota, partim parum cognita, et criseos subtilioris disciplina prorsus abscondita fuit, quorum fidem magis et solertiam, quam acumen, doctrinam, et artem, laudandam esse omnes profitentur. — Quis itaque eorum volumina ab interpolationibus et glossis, a mutationibus et transpositionibus, ab additamentis et omissionibus, prorsus libera esse contendet! Quis non mirabitur, quod non plures loci affecti, interpolati, desperati, non plures critico-rum cruces, horum librorum lectores et interpretes offendant? Quis non pio animo diuinam venerabitur prouidentiam, cuius ope, per varia variorum hominum studia, ea saltem loca illaes

ad nos peruererunt, quibus salutifera religionis cognitio nititur? Vix igitur est, quod perturbemur animo, et de religionis notitia certa desperemus, quamuis experientia testatur, variisque exemplis in Esaia, Ieremia, Zacharia, Iobo, Psalmis, et Proverbiis, Cantico, et Ecclesiaste obuiis, id comprobet, antiquissimos horum librorum collectores corruptis nonnunquam et depravatis in singulis locis codicibus vlos, saepius fragmenta tantum nactos esse, et dispersa folia, vel casu, vel traditione, vel arbitrio, in ordinem quandam redacta; canonis sacri autores nec multis, nec castigatissimis, apographis instructos, nec critica facultate, genuina a suppositiis, vera a falsatis aut suspectis, discernendi, cuique auctori, quae vere ab illius ore aut filio prouenerant, tribuendi, cuique libro aut librorum sectioni aptum locum assignandi, abunde praeditos fuisse; tempore alexandrinae translationis duplcem iam extitisse textus sacri recensionem, quarum alteram aegyptiacam siue hellenisticam, alteram palaestinensem nuncupare libet, quarum illa vario librorum ordine, vario singularum partium nexu, variis additamentis apocryphis, et appendicibus ex traditione ortis, ab hac diuersa erat; in formando textu masorethico plura quidem et discrepantia horum librorum exempla adhibita fuisse,  
quae

9

quae tamen omnia ad vnam eandemque recen-  
sionem, palestincensem nimirum, pertinuisse, et  
scriptionis magis, quam lectionis varietate a se  
inuicem discessisse videantur; nos vero seriore tem-  
pore nec testes omnium mutationum, quotquot  
textus sacer per plus quam mille annorum de-  
cursum expertus erat, vlo modo reperire, nec ex  
desertis testimoniis, certisque documentis, integrita-  
tem textus genuini restituere posse; vnde neces-  
sario sequitur, eiusmodi mutationes, earumque or-  
tum et medelam, coniecturis tantum ex interno  
textus habitu hauriendis indagandam, et veri  
speciem veritatis loco habendam esse, vbi cun-  
que ex sola coniecta et analogia difficultates  
textus recepti tolli posse videantur. \*)

Quod vero de reliquis V. T. libris, praecipue  
autem de prophetarum oraculis, valet, idem in  
examinando et constitudo textu Habacuci lo-

A 5

cum

\*) Vid. quae de eodem argumento KENNICOTTVS  
et DE ROSSI in dissertationibus generalibus criti-  
cae textus sacri editioni praemissis differunt, ade-  
unda etiam LOWTHII praefatio ad interpretationem  
Esiae p. 66 seqq. versionis germanicae, EICHORNII  
bibliotheca literaturae biblicae P. II. p. 562 seqq.  
609 seqq. PAVLI clavis Psalmorum praef. p. VIII. seqq.

cum habere debet, cum huius prophetae vaticinia eodem modo orta, literis consignata, conservata, collecta, propagata, et in vulgus emissae fuisse constet, eademque fata experta esse negari nequeat, quibus reliqua scripta vel prophethica vel didactica V. T. exposita fuere. Habacucum quidem, siue is tempore Hoseae et Esiae vixerit, siue regnante Manasse, siue circa finem regni Iudaici, sub ultimis regibus, contra Chaldaeos vaticinatus fuerit \*), carmina sua ipsum stilo elaborasse et litteris consignauisse, arbitror. At duplex carminum vatis nostri recensio, ut mihi videtur, vel ipso adhuc viuente, eamque procurante, vel statim sequente tempore, ortum cepit, quarum altera genuino ordine singula capita ita exhibuit, ut, quod nobis tertium est, et visionem aduenientis numinis continet, secundi locum, inter descriptionem cladis per Chaldeos illatae

\*) Mihi quidem posteriorem hypothesin arridere consiteor, eamque iisdem probari posse argumentis arbitror, quibus Ven. IVSTI oracula, Esiae adscripta, quae exilium Iudeorum praesagiant, redditumque in patriam promittunt, senioris autoris genium spirare, probauit. Conf. *Vermischte Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theologischen Gelehrsamkeit, von Leonb. Job. Carl Justi. Erste Sammlung. Halle. 1795.*

illatae, et praeagitionem interitus hostium, obtinuerit, indeque a versu quinto capitinis secundi usque ad versum eiusdem capititis vigesimum, tertium caput notatum fuerit, sine vlla inscriptione aut subscriptione, qua nunc caput tertium instructum, et a reliquo vaticinio disiunctum est; altera vero nostro textui similis, posthabito genuino ordine, visionem numinis e contextu erexitam, ultimoque loco annexam, et propter usum illius religiosum singulari inscriptione et subscriptione liturgica instructam, ad posteros tradiderit. Ex posteriore recensione deinde apographa descripta sunt, quibus haec vaticinia inter Iudeos post exilium conseruata et propagata sunt. Eiusdem recensionis textus in manus collectorum canonis sacri incidit, ab iisdem accurate seruatus, et corpori scriptorum israeliticorum insertus, denique ab interpretibus et lectoribus antiquis tritus est. Prioris vero recensionis vestigia tantum restant, eaque ex singulari capititis tertii titulo et subscriptione, ex lacuna quae secundi capititis nexum initio versus quinti turbat, et ex analogia similium carminum eruenda, quibus persequendis duumuiros celeberrimos S C H N V R R E R V M \*) et

W A H.

\*) in dissertationibus philologico - criticis p. 343  
seq.

W A H L I V M \*) iam aliquid studii impendisse video. Hanc itaque recensionem originalem restituendi, vel saltem, exponendis meis qualibuscunque super hac re opinionibus, illius vberiori inuestigationi et restitutiōni viam patefaciendi, studium, reliquas huius opusculi paginas occupabit.

In quo negotio rite administrando primas partes sibi depositis difficultatum, quibus recepta textus nostri recensio premitur, vberior exposicio, vnde clarius elucebit, qua via et quo modo illis occurrendum sit. Caput Habacuci primum arcte inter se nexum esse, sensumque illius ab initio ad finem vsque nullis irretitum esse impedimentis, naturali potius ordine omnia, quae vanitas sacri mentem lacescebant, exponi, ac sensus moestitiae et fiduciae in deum, quos alebat prophetae animus viuide depingi, nemo non sentit. Moestus deplorat propheta reipublicae calamitatem, queritur de violentia ac iniuria, populo ab hostibus inficta, opemque divinam ardentissimis preci-

\*) in prolegomenis interpretationi Habacuci praemissis p. 18 — 20. p. 37. et in notis philologicis p. 180 — 182.

precibus implorat, versu 2. 4. iamque deum maiora adhuc mala populo per hostes barbaros, regnaque vbique evertentes, imissurum esse, triflisis auguratur, et ferociam Chaldaeorum, omnia vastantium, luporum voracium, et aquilarum instar in praedam irruentium, omniaque diuina humana proterue spernentium, viuidis imaginibus a versu 5 ad 11. depingit. Sed ipsa haec victorum insolentia et sacrilega temeritas ad deum conuerit poetae animum, eumque spe erigit fore, ut deus impatiens huius iniuriae genti sacrae illatae, auxilium afflitis ferat, neque permittat, ut cultores veri numinis prorsus extirpentur, atque idolatria barbarorum victoriis porro promoueat, a versu 12 ad 17. Hisce optime congruit capitis 2 initium, a versu 1 ad 4 vsque. Comparat seipsum vates speculatori in loco alto consti-tuto, et exspectanti quid eueniret, et quid deus ad preces tatis sui respondeat, et oraculo recreatur atque visione, cuius promulgationem numen illi imperat, ut quicunque numini fidem habitu-rus sit, saluus tandem euadat. Additur istud ora-culum paucis verbis et dictione magnifica prola-tum versu 2. 3. et 4. At ubi exstat visio prophe-tae promissa? Reliquam capitis secundi partem illam non continere, in aprico est, nam illa haud visionem ipsam exponit, sed spem ex hac  
visione

visione in mente vatis enatam vberius explicat, vindictam numinis contra Chaldaeos ita annuncians, vt numinis, vlciscentis iniuriam, populosque contra Babylonios excitantis, apparitio praecedere debuisse videatur. Depingitur nimirum a versu 5 vsque ad 17 ferocientis victoris interitus, poenaque illi eo consilio inferendae, vt omnibus appareat, deum scelera aversari, eumque solum pie colendum esse, clauditurque comparatione egregia inter idola, eorumque cultores insanos, et deum omnipotentem sanctissimumque instituta, qua docetur, frustra ab idolis auxilium aut defensionem exspectari, Iehouam vero omnia, quae gentibus barbaris minatus sit, certissimo eventu comprobare, eiusque voluntati omnem rerum naturam obsequentem se praebere.

Versus huius capititis quintus neque eandem idearum seriem persequitur, neque eodem orationis filo negligitur, quo in antecedentibus versiculis vates visus erat. Praecipue verba יְהוָה hiatus produnt, cum nihil praecesserit, ad quod illa referantur. Siue enim pro transiundi, siue pro asseuerandi particula illa habeamus, siue interiectionem et exclamationem esse dicamus, quod WAHLIO placuit, semper aliquid praecedat necesse est, cui hic transitus, haec asseveratio,

tio, aut exclamatio, se adiungere possit, quod vero in antecedentibus quatuor versibus, nisi vim inferamus sensui, aut ellipses statuamus obscuris- simas, vix reperiri poterit. Hinc nonnulli interpretes hanc sectionem ad illa, quae in posteriore capitis primi parte continentur, referendam es- se contendunt, parum cogitantes, prorsus nouam initio capitis secundi orationis seriem ordiri, va- tisque mentem, quae praesenti hucusque calamiti- tati inhaeserat, nunc ad sublimiora futuri tempo- ris vaticinia effterri, caputque secundum, quam- uis non temporis interuallo, tamen conceptuum et sensuum diuersitate, a priori seiunctum esse, nec particula copulativa, nec transeundi, aut as- severandi, aut exclamandi, formula, cum illo coniungi, interpositis quatuor versibus, posse. Multo maioribus vero difficultatibus argumentum et consilium capitis tertii, ex recensione mafore- thica, laborare, nec eiusdem nexus cum ante- cedentibus facile demonstrari posse, interpretum varia in explicando hoc capite studia satis su- perque docent. Alii enim illud elegiaco oratio- nis genere scriptum, alii hymnis annumerandum esse statuunt, alii praeteritorum, quae deus fecit saluandae gentis causa, mirabilium imaginem, alii praesentis dei vindictam, alii futurorum ex- expectationem, precibus vatis efflagitatam, hic de-

pingi

pingi autem, alii illud cum primo, alii cum secundo capite cohaerere contendunt, alii deperditum quoddam oraculum hic respici, alii singulare, neque cum reliquis arcte cohaerens, vaticinium illius argumentum constitutere putant. Ut melius cognoscatur fluctuans interpretum de huius vaticinii sensu et nexus iudicium, aliquot commentatorum sententias sub examen vocare mihi licebit.

Antiquiores interpretes in enucleando huius capitinis argumento a veritatis tramite aberrasse haud miramur, cum sola inscriptione, cuius authentia dubia est, eaque etymologice tantum explicata, omnis eorum interpretatio nitatur. Deprecationem peccatorum populi, et spem liberationis ex captivitate bosiliū, recordatione antiquiorum dei factorum fretam, hoc capite contineri, omnes fere vno ore profitentur, parum in singulis partibus enarrandis a se inuicem diuersi, MVNSTERVS, VATABLVS, DRVSIVS, TARANOVIVS, SALOMO VAN TIL, CALOVIVS et alii, a quibus in eo tantum GROTIUS reddit, quod titulum הפלת על שנינוות non etymologice, de oratione pro peccatis populi, sed sensu alio de carmine ad modulos veteris cantici, quod his verbis על שנינוות על incipiebat canendi, inter-

terpretatus est, et in verbis versus secundi: *vivifica opus tuum*, cardinem totius orationis versari putauit. Arbitratur nimirum, et sine idoneis argumentis id sumit, sub opere dei gentem israeliticam intelligi, cuius liberationem e captiuitate vates precibus a deo efflagitare cupiat, omniaque, quae a versu tertio usque ad 15 adiiciuntur, episodion esse, eo tantum consilio additum, ut vates ex historia gentis probet, iure se israeliticam gentem nomine operis dei insignire. Verum enim vero nihil in vniuerso capite occurrit, praeter ultima versus 2 verba, eaque satis ambigua, et lectionis varietate dubia, quod prelationis formam prodat, nulla iniicitur ullibi peccatorum populi iudaici mentio, nulla poenarum populo ob delicta inflictarum reperitur deprecatio. Grotiana autem interpretatio a Calouio iam iure castigata et reiecta est.

Nec minus mihi a vero sensu aberrasse vindicentur plurimi recentiores interpretes, qui vel in supplicatione totum capitum argumentum versari, vel digressione nimis verbosa nexus turbari, a versu 3 ad 15, vel tenui tantum filo huius capitum argumentum cum reliquis huius vatis oraculis cohaerere perhibent. MICHAELIS \*)

qui-

\*) In notis versioni prophetarum minorum subiectis.

B

quidem panegyrin praeteritorum simul ac futurorum, quibus populum e malis liberauerit, dei miraculorum hoc capite contineri ait. PERSCHKIVS \*) atque DATHIVS \*\*) in duas partes hymnum dispescunt, quarum prior, respectu ad caput secundum habitu, cladem Chaldaeorum numinisque gloriam hac clade hostium augendam a versu 3 - ad 15 imaginibus e veteri historia desumptis viuide depingat, posterior, quea ad capitum primi versus 5 - 17 relata sit, tristem vastationis terrae iudaicae a Chaldaeis inferendae et calamitatis ciuium memoriam, speique meliorum temporum et fiduciae in deo positae solatia describat versu 16 - 19. SCHROEDERVS \*\*\*) carmen in alternos choros distribuendum esse existimat, hoc modo, ut chorus primus precetur, velit deus maturare populi liberationem, hostiumque interitum, versu 2., chorus secundus profiteatur bonam spem opis diuinae, eamque fundet in pristi-

\*) In libro anonymo Habakuk vates olim hebraeus imprimis ipsius hymnus denuo illustratus, 1777. 8.

\*\*) In versione prophetarum minorum, edit. 3. 1790.

\*\*\*) In dissertatione philologica in canticum Chabacuci Groningae 1781.

pristinis dei beneficiis, quae ordine paene historico, si lo tamen poetico enarrat, vers. 3 - 15, chorus primus sermonem resumat, de gravitate sui metus, et consternationis ob imminentes calamitates conqueratur, simul tamen declarat, animum diuino iudicio et voluntati submittendum vers. 16. 17., chorus secundus plenus spei ex pristinis beneficiis conceptae, certam fiduciam de futura liberatione ex captiuitate, reditu in patriam, et reipublicae instaurazione, testetur vers. 18. 19. Similis fere huic hypothesi est GREENII opinio \*), qua primo moerorem de poenis, quas deus Iudeis minatus fuerit vers. 2., hinc persuasionem suam de futuro dei auxilio, historiae monumentis fretam, vers. 3 - 15. inde nouos timoris sensus propter instantia mala, et preces ad deum, ut morte illum ab hoc malorum spectaculo liberet, antequam patriae vastatio ingruat, vers. 16. 17. denique firmioris fiduciae declarationem vers. 18. 19., hoc capite enarrari arbitratur. SCHNVRRE RVS contra \*\*) poetam respexisse putat ad oraculum quoddam, vati diuinitus datum, atque et.

B 2

iam

\*) GREENS kritisch-exegetischer Kommentar über einige poetische Stücke des A. T. Gießen 1784.

\*\*) In dissertationibus philologico-criticis p. 342. seqq.

iam ab hoc haud dubie in vulgus editum, sed quod proflus intercidit, ex genere illorum, quae comminationes habeant et denunciationes calamitatum. Tali numinis sententia animo vatem percussum, deum obtestari, velit in ista calamitate seruare populum, ab se quasi factum formatumque, vers. 2., subire deinde illius animum recordinationem superiorum temporum, occurrere universam mirabilium facinorum seriem, in gratiam populi quondam editorum, in hanc igitur materiam grauissimam illum subito ingredi et longius euagari, animoque tantopere indulgere, ut haec pars orationis iustum modum fere excedere videatur. Versu tandem 16 redire illum unde digressus est, terroris sensum denuo vberius significare, et delineare diram faciem, quam mox habitura sit patria, vers. 17., sed protinus illum desistere, abhorrentem quasi animo ab illa tristissima imagine, atque ad Iehouam sese conuertere, cuius praesidium sibi haud defuturum esse laetus confidat, ut quae a querimoniis exorsa eset oratio, eadem nunc in triumphum fere desinat. BAVERVS ad elegiarum genus hoc carmen retulit, deprecationem miseriae Iudeis imminentis, et spem auxilii diuini illo expositam esse, longoque interiecto episodio a vs. 3. ad 15: insignia numinis facta eo consilio describi ratus est,

est, ut Ioua moneatur de noua auxiliis praefatione. Nexus vero esse ait huius carminis argumentum cum illis, quae capite primo, de calamitate ciuibus Habacuci a Chaldaeis inferenda, praecesserant \*). Ingeniose, ut solet, HERDERVS obseruauit \*\*), duplex per vniuersum carmen regnare affectuum genus, timoris et spei, angoris et fiduciae, ex argumento diuerso ducrum praecedentium vaticiniorum enatum, et elegiaco sermone descriptum. Poetam sensu comminacionum diuinatarum, quas capite primo annunciauerat, et grata prateriti temporis, quo deus saepius opitulantem se magnifice manifestauerat, memoria, simulque promissionis, capite 2 versu 1 - 4. datae fiducia, perculsum animo, trepida et supplici oratione dei auxilium implorare versu 2, atque illius spem ali recordatione miraculorum dei versu 3 - 15. poetice descriptorum, deprimi vero iterum vatis mentem timore instantis calamitatis versu 16. 17., denique firma auxiliis divini fiducia omnes dubitationes vinci, eumque laetantem triumphantis numinis gloriam celebrare. Simili fe-

\*) Vid. BAVERI commentarius in proph. min. p. 26. 40. P. II.

\*\*) Geist der ehrneischen Poesie P. II. p. 102, seqq.

re modo WAHLIVS \*) ortum hoc carmen putat ex oraculis, in superioribus capitibus a propheta enarratis, illudque singulari etiam odarum huius poetae volumini adiectum fuisse, titulumque, a vate ipso operi suo praefixum, carmen futurorum augurio plenum, et ex collectione hymnorum prophetae huius vaticiniis adscriptum, significare arbitratur. Argumentum itaque carminis versari in futuri temporis praesagitione, auxiliique diuini tempore praefinito praestandi descriptione. Augurari vatem, postquam opem numinis implorauerat, maiestate plenum numinis aduentum ad vindictam aduersus Chaldaeos exercendam, sed deplorare simul vastationem patriae ab hostibus inferendam, at eodem momento animum vatis erigi laeta futuri temporis exspectatione. Parum ab eo diuersus K O F O D \*\*) singulas huius carminis partes ita dispositas esse autumat, vt oratio ad deum versu 2, auxiliorum diuinorum, tam futurorum quam praeteritorum, recensuſ. 3-15. terroris, qui omnibus perpensis vatem angebat, signi-

\*) In prolegomenis commentario in carmina Habacuci praemissis, notisque huic commentario adiunctis.

\*\*) Chabacuci vaticinium commentario critico atque exegetico illustratum. Hauniae 1792.

significatio, firmioris denique animi fiducia in deum versu 16 - 19. contineatur. Nouissimus denique Habacuci interpres, FRIDERICVS PLV M\*) recte, ut mihi videtur, versu 3 - 15. aduentum dei magnificum ad Chaldaeos puniendos, quem auguratus erat, et enixissimis precibus efflagitauerat vates, viuidis coloribus, ex veteris historiae monumentis desumitis, depingi afferit, versumque 16. terrorem describere contendit, quo vatis, Iouae maiestatem, numinisque augustissimi apparationem oculis quasi praesentem conspicientis, mens percussa fuerit, indeque prophetam animo commotum ad expectationem calamitatis et patientiae admonitionem se conuertere, donec mens diecta, futurae salutis spe iterum confirmetur et in laudes Iehouae effundatur.

Omnia haec interpretum doctissimorum, atque ingenii acuminis florentissimorum studia, quod pace tantorum virorum dixerim, triplici magis minusue laborare mihi videntur difficultate. Primam, quae animum lectoris offendet, a sensuque morabitur, in eo positam esse arbitrор,

B 4

tror,

\*) Observations in textum et versiones maxime graecas Obadiæ et Habacuci. Hauniae 1792.

tror, quod fere omnes ad supplicationum genus  
hoc carmen referunt, et qui in exordio tantum  
animum vatis, ad deum se conuertentis, numinis.  
que maiestatem contemplantis, afficit precandi af-  
fectum, eundem per vniuersum hymnum reg-  
nare perhibent, quamuis nulla eiusdem vestigia  
praeter inscriptionem et versum secundum inue-  
niantur. Verum enim uero ipsam etiam inscri-  
ptionem huic hypothesi parum fauere  
celeb. WAHLIVS \*) illumque fecuti interpretes  
Ven. KOFOD et PLVM \*\*) tam ex etymologia,  
quam ex usu vocabuli monstrarunt, et signifi-  
cationem aliam huic loco praeprimis aptam: au-  
gurium, diuinatio ab entheo vate prolatā, e cog-  
natis dialectis, praeente MICHAELIS, erue-  
runt. Nec maius vulgari interpretationi robur  
accedere arbitror phrasibus versus secundi

בקרב שנום חיינה  
בקרב שנום תודיש  
ברגץ רחם תוכר :

quas

\*) In commentario p. 220 - 222.

\*\*) Ille in commentario p. 108. hic in obserua-  
tibus philologico criticis p. 57. quibuscum con-  
ferri possunt, quae MICHAELIS in supplemen-  
tis ad lexica hebraica sub numeris 2038 - 2040  
p. 2017 - 2019 collegit, et EICHHORNII biblio-  
theca Vol. V. p. 552 - 556.

quas vertere solent: *in medio annorum* (i. e. intra annos praefinitos, vel circa illud tempus) *il-*  
*lud sc. opus tuum, conserua aut viuifica, in medio*  
*annorum patefac, te, quamvis iratum, tamen ite-*  
*rum misereri.* Dubia enim est vocis יְהִי־חַדֵּשׁ autoritas, et insolens phrasis פָּעַל יְהֹוָה פָּעַל significatio, a GROTI<sup>O</sup> et SCHNVRERO defensa, qua populum Iudeorum ita nominari contendunt. Meliorem vero sensum nobis offert lection<sup>o</sup> גַּנְיָח, in Hieronymianis codicibus obvia, (vnde, ut obiter hoc moneam, partim masorethica lection<sup>o</sup> חַדֵּשׁ, partim Alexandrinorum interpretum textus בַּיַּמִּים leui literarum mutatione vel scribendi vitio, orta esse videtur) et auctoritate codicis Kennicottiani 432 firmata, qua admissa commodus sensus evascitur hicce: *dum abduc viuemus, intra praefinitum tempus, patefacies, quod decreveristi, (לְיָד) te, misericordia commotum, operis tui recordari.* Deinde contra reliquam vatis nostri concinnitatem pugnare videtur hypothesis eorum interpretum, qui maximam capit<sup>o</sup> tertii partem pro episodio aut digressione, ornatus tantum causa addita, et longius quam fas erat a scopo aberrante, venditant, nec in hoc loco praecipuum capit<sup>o</sup> argumentum tractari concedunt, nec visionem diuinatus reuelatam futurorumque augurio plenam,

sed praeteritorum tantum memoriam, his versibus  
graphicē describi putant. Alii contra interpres,  
cardinem totius oraculi in hoc loco versari fla-  
tuentes, videant, ne hysteron proteron poetae  
imputent, illumque Iliadem post Homerum scri-  
psisse, afferant, cum Chaldaeorum poenae, ex  
ipsorum sententia, iam capite secundo depictae  
sint, et nunc capite demum tertio numinis ad-  
uentus ad hanc cladem inferendam hostibus prae-  
cincatur. Quorsum tandem haec theophania post  
victoriam iam de Chaldaeis deportatam? Deni-  
que idearum nexus capite tertio impeditum esse,  
nec sine variis artibus restitui posse, iam nobis  
non monentibus diuersarum opinionum enarra-  
tio, quam antea exhibuimus, docebit, idemque  
de nexu inter versum quartum et quintum capi-  
tis secundi valere supra demonstrauimus, nec fa-  
cilem esse capitii tertii cum primo aut secundo  
cohaerentiam, reliqui etiam commentatores testan-  
tur, dum alii ad deperditum oraculum sensum  
huius vaticinii referendum, alii appendix loco,  
et elatiore dicendi genere, sumimam priorum ca-  
pitum in hoc loco repetitam, alii id aliunde  
vaticiniis prophetae adiectum esse perhibent.

Affentior contra WAHLII, KOFOIDI et  
PLVMII sententiae supra expositae, de significa-  
ta

tu vocis ἡλπή, et variorum dubiis de authentia  
 tituli et subscriptionis huius capitatis, atque HER-  
 DERI argumentis, quibus sensuum et affectuum,  
 e vaticiniorum capitatis primi argumento enato-  
 rum, turba prophetae animum obrutum, mox  
 angoris et timoris vi perculsum, mox spei et fi-  
 duciae blandimentis delinitum, nunc praesentis  
 calamitatis tristi spectaculo depresso, nunc ve-  
 teris historiae memoria solatio adfectum, gra-  
 phice hic depingi, visionemque et aduentientis  
 numinis apparitionem menti illius obuersantem  
 describi, indeque illum initio terrore perculsum,  
 deinde fiducia plenum, denique de auxilio di-  
 vino firmissima mentis persuasione gloriantem,  
 sisti, euincitur, summanque carminis pulchri-  
 tudinem in affectuum viuida imagine, et maie-  
 statis diuinæ egregia pictura consistere, pro-  
 batur.

Ortis vero ex recensione maforethica diffi-  
 cultatibus nullo alio modo occurri, nexumque  
 turbatum totius vaticinii vix aliter restitui, et ca-  
 pitis tertii natuam vim, verumque consilium et  
 argumentum, haud satis persentiri posse arbitror,  
 nisi hoc nobis concedatur, caput tertium conti-  
 nere eandem, quam deus vati cap. II. versu 2.  
 et 3. promiserat, et euulgare praeceperat, visio-  
 nem, depresso prophetae animum erigentem,  
 illud-

illudque integrum, excepto titulo et subscriptione, post capitum secundi versum quartum inse-  
rendum esse. Quo admisso simul lacuna initio  
versus 5. a multis obseruata expletur, et quae in-  
de a versu quinto capituli secundi ad finem usque  
narrantur, apparitionis diuinae ad puniendo Chal-  
daeos uberiorem expositionem, et, ut ita dicam,  
commentarium propheticum theophaniae consi-  
lium explicantem, continent, egregia absolutum  
clausula, monente de numinis veri prae idolis ex-  
cellentia, ad eiusque pium cultum omnem terra-  
rum orbem exhortante. Oraculum exspectans  
vates diuinatus edocetur, instare sibi numinis ap-  
paritionem, publice reuelandam, et futuri auxi-  
lii nunciam, cuius euentus spem credentium mi-  
nimie fallat. Oraculi argumentum paucis hisce  
verbis commemoratur: *increduli et rebelles* (Chal-  
daei) *malis opprimentur, iusti vero fidemque nu-*  
*mini habentes* (Iudaei) *salvi aliquando evadent.*  
*Audio, inquit respondens deo vates, effatum tuum,*  
*et animo vehementer commoto quid moliaris ex-*  
*specto. Nobis adhuc viuentibus* (חַיִנּוּ) *intrat tempus praefinitum* (בְּקָרְבֵן שְׁנִים) *declarabis,*  
*te, boarium iniurias vlciscentem, (בְּגָנוֹ) nostrum*  
*iterum misereri. Exsurgit nunc altius poetae*  
*animus ad vlciscentis numinis representationem,*  
*recreaturque theophaniae visione, et magnificum*  
dei

dei, ad poenas Chaldaeis inferendas aduenientis, spectaculum viuidis coloribus, e veteris historiae monumentis sumtis, depictum lectorum oculis subiicit; describit porro vates quomodo ipse aucta numinis apparitione animo affectus fuerit, trementem se ac stupentem miracula, quae deus editurus sit, spectasse, vixque animum colligere potuisse, insigni revelatione diuina perculsum, demonstrat vs. 16. Mox vero spei et fiduciae, inter medias populi calamitates, dei auxilium placide exspectantis, sensus, mentem prophetae iterum occupat, et numinis praesidio se fretum esse declarat, atque futurorum conscius, gaudio iam exultans, de Iouae auxilio gloriatur \*). Sequitur nunc capitulii secundi (quod ex nostra sententia

\*) Voce nimis ḥām, quae plurimos interpres vexauit, noui versus initium facere, atque ad sequens יְהוָה referendam esse arbitror, hoc sensu: quamvis tempora aduersa (numinis iussu cap. II. 3. admonitus) exspectare debeam, cum ascendet contra populum hostis, qui nos depopulabitur, cum ficus non florebit, nec erit productus in vineis, cum olea spem mentietur, nec arua frugem ferent, cum pecus ex caulis auferetur, nec supererit in stabulis armentum, rāmen ego per Iouam exultabo, laetabor deo salutis meae auctore.

tentia tertii locum occupare debet) versu 5 - 17.  
 huius visionis vberior expositio, et ad praesagien-  
 dum hostium interitum applicatio. Barbari prae-  
 dones mox poenas sacrilegiorum luent, numen  
 populi sui iura vindicabit, victores humanitatis  
 omni sensu priuati populis quos debellauerant lu-  
 dibrio erunt, ipsosque eadem, qua reliquos affe-  
 cerant, fors diuinitus constituta manebit \*). De-  
 nique in eo terminatur vatis sacri oratio, vt de-  
 nuo ex hostium interitu barbaros de idololatriae  
 insaniam conuictos fore auguretur, simulque Io-  
 uam laudibus efferat. Vix vlla clausula magis  
 apta intuenietur huic vaticinio, vix quidquam me-  
 lius congruens totius oraculi argumento, piisque  
 vatis sensibus magis accommodatum, eo, quod co-  
 lophonis instar addidit, epiphonemate: *quid prod-  
 est sculptum simulacrum, quod faber fecit? aut  
 fusum idolum, quod mendacium docet? qui confi-  
 dat opifex operi suo, quamuis muta fecerit simu-  
 lacra?* O stultos, qui ligno dicunt, expurgi-  
 re!

\*<sup>o</sup>) Initium versus quinti de cuius interpretatione  
 conferri potest egregia commentatio critica in  
*Ioea quaedam prophetae Habacuci*, quam celeb.  
**FABER** Opoldi 1779 publici iuris fecit, hoc  
 sensu accipio: *Profecto vinum faller virum!  
 proferetur et non confiteretur.*

*re! et lapidi furdo, exsurge! Num is oracula  
edet? Auro quidem et argento est obductus, at  
nullus ei inest spiritus! At Ioua in templo suo  
sanctissimo habitat, illum reuereatur uniuersus ter-  
rarum orbis!*

Ex hac itaque textus prophetici recensione  
integrum vaticinium hisce capitibus absoluitur:  
I. Epigrapha versu 1. cap. I. II. calamitatum quibus  
respublica iudaica pressa erat descriptio cap. I.  
versu 2. 3. III. caesarum miseriae enumeratio,  
hostiumque barbarorum omnia vastantium imago  
cap. I. vs. 4 - II. IV. liberationem ciuium et ho-  
stium interitum a deo precibus vates efflagitat  
cap. I. 12 - 17. V. oraculo recreari cupit, deus  
visionem promittit, eumque breui oraculo con-  
solatur cap. II. 1 - 4. VI. respondens vates facro  
enthusiasmo corripitur, deique aduenientis maie-  
statem contemplatur cap. III. 2 - 15. VII. hinc ani-  
mus illius primo terrore percellitur, mox vero  
spe et fiducia repletur, tandem laetus praesidio  
diuino gaudet et triumphat cap. III. 16 - 19. VIII.  
exponit deinde oraculi vim et theophaniae con-  
silium explicat, hostibus interitum minatus epi-  
nicio, quod per quatuor strophas decurrit, cap. II.  
vs. 5 - 8. vs. 9 - 11. vs. 12 - 14. vs. 15 - 17. IX. epi-  
phonema addit, quo pios cultoris veri dei sen-  
sus

Ius prodit, et Iehouam idolatras gentes debelantem laudibus effert cap. II. versu 18 - 20.

Simile hoc modo redditur vatis nostri volumen reliquis prophetarum oraculis consolatoriis, quae ab intuitu praesentium vel mox instantium calamitatum fere semper exorsa, praeteritorum laeta memoria a descriptione malorum tristitiaque sensu ad meliorum temporum spem progrediuntur, futurique temporis prosperos euentus, vel per oracula vel per apparitiones numinis vari reuelatos, augurantur, atque ad veri dei cultum barbaros, ad fiduciam in Iehoua ponendam Israelitas, ad numinis venerationem omnes adhortantur.

Neque tamen reticere cupio varias, quae meae opinioni fortassis obiciuntur, difficultates. Haerēbunt enim nonnulli in diuerso dicendi genere, quo tertium caput a primo et secundo differt, alii desiderabunt argumenta, quibus permoti iam antiquissimis temporibus, vel lectors oraculorum Habacuci, vel ipse autor libri, capitum genuinum ordinem deseruerint, alii inscriptionis et subscriptionis autoritatem mihi obiciunt, alii denique crisi nostram nimis audacem esse clamabunt, et ne arbitrio nimium in disponendis libro.

librorum sacrorum partibus indulgeatur verebuntur. Sed plura sunt, quae accusatoribus respondem.

Mutatum atque elatius dicendi genus argumenti varietate, sensu inique animi diuersitate, factis excusari posse arbitror. Adtemporat vates sermonem ubique argumento quod tractat, elegiaco carmine vtitur ubi tristem rerum faciem depingit, ironico ubi ferocibus hostibus interitum minatur, supplicibus vocibus deum obtestatur, ut auxilium inopi genti ferat, quidni etiam surgat oratio illius ultra solitum dicendi genus in describendo magnifico apparentis dei spectaculo? Nonne sermonem magis ornatum et splendidum poscit numinis praesentia? Nonne sili sublimitas et magnificentia aequare saltem ex parte debet augustissimam apparitionem dei? Nonne imagines vati aliunde suppeditatas fuisse arbitrabimur splendidissimas, cum in loco versatur, quem saepius iam ab antiquioribus poetis tractatum, re et verbis solennem, nouerat, quem Mosaica scripta (Exod. cap. 15. Deuteron. 33.) Daudis hymni (Pf. 18. 50. 68. 77.) et Esiae carmina iam pridem nobilitauerant\*)? Tantum igitur abest, ut hoc argu-

\*) Conferantur ea, quae de ortu et progressu nationum de theophaniis scripsi in libro menstruo  
*Neues theologisches Journal* T. II.

mento; de altius exaggerata oratione et grandiore atque cothurnato stilo, quo huius capitinis maxima pars conscripta est, desumto, opinio de authentia textus recepti firmari, nosfraue hypothesis impugnari possit, vt potius ipsa hac stili et argumenti concinnitate, et arcissimo idearum nexus, illam magis roborari arbitremur.

Neque me mouet caufarum transpositi tex-  
tus ignorantia. Variae enim indicari possunt ra-  
tiones, e quibus recensionis receptae ortus expli-  
cari possit: principem in eo positam fuisse pu-  
to, quod singulare huius capitinis argumentum le-  
ctorum animos magis quam reliqua vaticiniorum  
pars attraxerit, et ad usus religiosos, consolando-  
que populi hostibus oppressi animos, aequa ac ser-  
uandam beneficiorum numinis memoriam, aptum  
fuerit. Continet nimirum materiam grauissimam,  
summo orationis ornatu expolitam, numinis ad  
auxilium populi sui venientis gratissimam repre-  
sentationem, quae nunquam non Iudeorum ani-  
mos malis depresso erigere, et ad firmam in  
Iehoua ponendam fiduciam illos excitare potuit.  
Hinc vel ab auctore ipso, quod cel. w A H L I V S  
voluit, vel ab alio quodam, hanc oden a reli-  
quis oraculis seiunctam, atque libro odarum reli-  
giosarum insertam, additis modis cantui aptatam,  
vsui

vñi liturgico destinatam, et singulari titulo atque subscriptione instructam fuisse, vero haud dissimile videtur. Aliis deinde Habacuci apographis in fine tantum annexa fuit haec oda eo consilio, ut singularis eius usus liturgicus et miscitus in titulo et fine notari possit.

Parum porro refert, vtrum ab auctore ipso, an ab alio quodam additus fuerit titulus, dummodo verum sit, in quo omnes consentiunt, eius argumentum, auctoris neimpe nomen, et carminis genus. Idem de subscriptione valet, quae musicum huius carminis usum declarat. Quae autem intercalata est vox *Sela*, signum varietatis musicæ est, et cantus mutatos modulos indicat \*). Eam primo in margine positam fuisse arbitror, deinde in textum ipsum receptam, unde errore factum fuisse videtur librarii, vt non semper initio eius versus vox anteponeretur, qui modulorum mutationi locum praebuit, sed in fine antecedentis versiculi adderetur. Itaque in no-

## C 2

stro

\*). Vid. WAHLII excursus IV. commentario in Habacucum annexus p. 225 - 230. HERDERI *Geist der ebräischen Poësie* P. II. p. 376 - 378. MICHAELIS supplementa ad lexica hebraica p. 1760. seqq. EICHHORNFI bibliotheca literaturae biblicæ T. V. p. 542 - 551.

stro carmine hoc vocabulum restituendum erit  
initio versus 3. 9. et 13., ut stropharum genuinus  
ordo seruetur. Prima nimirum, apparitionem ad  
venientis numinis celebrans, eiusque maiestatem  
describens, aduentusque causam significans, stro-  
phe, a versu 3. usque ad finem versus 8. decur-  
rit, altera a versu 9. ad 12. usque effectus appa-  
ritionis diuinae in terra conspicuos, populisque in-  
festis deo noxios, exponit, tertia a versu 13. usque  
ad finem versus 15. beneficia, quibus numen po-  
pulum oppressum beare vult, hostiumque interiu-  
rum enarrat, quarta denique a versu 16. usque ad  
19. nouas quidem modulorum mutationes depo-  
scere videtur, sed potuit etiam cum antecedente  
cantando coniungi, quoniam sensus animi decla-  
rat ex superioribus ortos, et cum eorum argu-  
mento arte connexos.

Denique vix est, quod damnum inferri li-  
bris facris hypothesi nostra aliquis timeat. Ni-  
hil ea demit, nihil obtrudit vatis carmini, nihil  
que derogat eiusdem veritati, pulchritudini,  
atque auctoritati diuinae, dignitatem potius atque  
decus huius vaticinii auget, nemusque et argu-  
menti concinnitatem restituit. Praeter titulum et  
subscriptionem, et adiectum *Sela*, nihil reicitur,  
quin ipsa haec additamenta seniori tantum recen-  
sioni, ab ipso vate, vel a coaeuo profectae, tri-  
buun.

buuntur, nec suspecta redduntur. Et quis ne-  
sciat, idem in Psalmis saepius locum habuisse, vt  
ab autore ipso, vel vetero quadam critico, denuo  
editi, aliorum hymnorum collectioni inserti, et  
inscriptionibus aut subscriptionibus, auctoris no-  
men, carminis argumentum, et cantionis modu-  
los indicantibus, instructi fuerint. Exstant exem-  
pla in Psalmo 18. cum capite 22. libri posterioris  
Samuelis collato, in Psalmo 14 et 53, 40 et 70,  
108 et 57 ac 60, quorum duplex recensio, ordi-  
ne, vsu, inscriptione, a se inuicem discrepans, ad  
nostra usque tempora seruata est. Idem in om-  
nis aeui litteris, omniumque cultorum populo-  
rum monumentis scriptis accidisse, vt eiusdem  
textus diuersus fuerit diuersis temporibus habitus,  
vt modo vna tantum, modo plures eiusdem edi-  
tiones, posteritati traditae fuerint, tum diserta te-  
stimonia, tum criticorum coniecturae testantur.  
Nimis itaque anxii, vel nimis ignorantes, aut  
pertinaces esse videntur, quicunque detrimento re-  
ligionem ipsam, quae certe non verbis et litte-  
ris, sed argumento librorum sacrorum nititur,  
aut saltem religionis libros, affici eiusmodi conie-  
cturis clamitant.

Ad confirmandam sententiam nostram, de  
genuino carminum Habacuci ordine restituendo,  
haud parum roboris accedit ex collatione aliorum

carminum hebraicorum, quae eodem animi sensus produnt, eademque idearum serie simile argumentum tractant, quorum alterum aliquot saeculis antiquius, alterum haud multo recentius nostro est, psalmi nimirum secundi et septuagesimi septimi. Psalmi secundi auctor eodem modo, quo vates noster, in medias res rapit lectores, statimque in exordio oculis eorum repraesentat tumultus bellici et eversi ordinis ac status ciuilis triste spectaculum, hostiumque humanas diuinasper leges migrantium furorem, cuius aspectu ipsius poetae animus maxima perculsus fuerat moestitia. (cf. Ps. II. verf. 1. 2. 3. cum Habacuci cap. I. versu 3 - 14.) Tunc surgit vatis mens ad diuini numinis contemplationem, in eaque aliquantum requiescit, dum deum cogitat, qui ferre insanos hostium conatus aequo animo, illorumque iniurias inultas tolerare, nequeat. (cf. Ps. vi. 4. cum Prophetae cap. I. 12 - 17.) Respondet votis cultoris sui deus, oraculoque illum, vana futura esse barbarorum et rebellium molimina, edocet, numinisque praesidium piis dei cultoribus promittit. (cf. Ps. II 5. 6. cum Hab. II. 1 - 4.) Vberius hunc locum grauiissimum tractat, sibique mire in illo exornando placet, propheta noster, praeter oraculum etiam numinis apparitione augustinissima dignatus; psalmi contra auctor breuibus tantum

ver.

verbis, qualem ipsius mens sibi fixerat dei imaginem, exponit. (cf. Ps. II. 4. 5. cum Hab. III, 2 - 19.) Ambo autem in eo iterum consentiunt, quod in oraculi et apparitionis sensum suis verbis commentantur, eiusque argumento utuntur ad denunciandam hostibus poenam (cf. Ps. II. 7 - 9. cum Hab. II. 5 - 17.) Finem denique facit poeta epiphonemate adhortationibus pleno, et beatos veri numinis cultores praedicat. Illud idem, et fere eodem modo fecisse prophetam nostram, ultimi versus capituli secundi testantur. (cf. Ps. II. 10 - 12. cum Hab. II. 18 - 20.) Alia ex parte vatis nostri textus, ex conjectura nostra pristino ordini restitutus, lucem accipit, comparato psalmo septuagesimo septimo, cuius auctor (Assaphum titulus nominat, parum in hoc probandus) iisdem rebus eodem modo affectus, similes sensus animi prodit, et qualis fuerit animi conditione, qualis cogitationum et affectuum inter se nexorum series in mentibus vatum entheorum clarissimus, quam alibi id assequi nobis licet, demonstrat, cum autor magis enarraret, quae senserit, quomodo affectus fuerit, quidque cogitauerit, quam ipsos sensus animi erumpere sinat. Grauissima afflictione oppressus poeta, in eoque vati nostro similis, extremam animi sui dejectionem et perturbationem exponit, moestam rerum fa-

ciem ob oculos versantem deplorat , et de populi sui miseria conqueritur , Vers. 1 - 5 , quibuscum conferendus Habacuci textus cap. I. 2 - 11 . Tum superiorum temporum recordatione dolorem suum lenire cupit , atque deum semper populi sui praesidium fuisse meminit ; sed ipsa hac memoria praeteritae felicitatis , eiusque cum praesentibus malis comparatione , tristitiae sensus ingrauefecit , animoque deieicto querelas extorquet ; donec vates , reputans secum consilia dei , recogitansque prolixum eius erga populum suum fauorem , diuinamque benignitatem atque sanctitatem , ea meditatione recreatur , nouamque spem animo concipit , vs. 6 - 13 . , quibus similia fere sunt , quae apud prophetam cap. I. 11 - 16 , leguntur . Poetice hinc depingitur auxilium , quod saepius oppresso populo deus attulit , imagines splendidiae miraculorum , quandam in gratiam Israelitarum editorum , cumulantur , numinisque laudes ardentissimo cum affectu , cui par est sermonis magnificentia , celebrantur . Sed altius aliquanto exsurgit prophetae ingenium , qui oraculo et apparitione numinis recreatus , praeteritorum memoriam cum futurorum euentuum meditatione copulat , et omnia tanquam praesentia lectorum oculis subiicit . Conferantur igitur argumento pares , sermone diversi versus 14 - 21 . laudati psalmi , et Habacuci

caput

caput II. vs. 1 - 4. cap. III. vs. 2 - 15. Desideratur quidem in psalmo vsus imaginum, theophaniam adumbrantium, ad consolandam vatis mentem, et firmandam eius fiduciam, atque augendam animi in tolerandis malis constantiam, desunt minnae, hostibus populi diuinitus interitum augurantes, et excellentiae veri numinis laudes, quibus Habacuci vaticinium terminatur. Sed ab aliis etiam obseruatum esse animaduerto, quod ipse in lectione huius psalmi semper sensisse mihi videbar, truncatum hoc carmen ad nos peruenisse, et temporum iniuria in fine mutilatum \*). At praeter argumenti comparationem, singularum etiam imaginum et phrasium similitudo, quae inter Psalmum 77. et Habacuci vaticinia, praesertim illius hymnum, intercedit, memoratu digna est, cuius exempla, partim ab aliis iam animaduersa, partim adhuc non notata, hic apponam. Conferantur itaque inter se haec loca Ps. 77. vs. 2 - 4. cum Hab. I. 2. Ps. vs. 5. cum Hab. II. 1. Ps. vs. 6. cum Hab. I. 11. Ps. vs. 8 - 10. cum Hab. I. 12. Ps. vs. 13. cum Hab. III. 2. Ps. vs. 14. 15. cum Hab. II. 18 - 20. Ps. vs. 16. 21. cum Hab. III. 13. Ps. vs. 17. cum Hab. III. 8 - 10. Ps. vs. 18. cum Hab. III. 11. Ps. vs. 19. cum Hab. III. 6. 11. 12. Ps. vs. 20. cum Hab. III. 15. in quibus omnibus vel

C 5

cogi-

\*) cf. PAVLI clavis psalmorum p. 192.

cogitationum, vel imaginum, vel sensuum, vel dictionis, similitudo insignis occurrit, quae vix causi adscribenda erit, aut materiae, in qua exornanda vterque versatur, analogiae, cum in tam arcto paucorum versuum complexu toties inueniatur. Vtrumque igitur vatem ex antiquiore carmine ita hausisse dicamus, ut non tantum materiem, sed eiusdem etiam exponendae modum, atque imagines et verba singula, sua fecerint? Id quidem in psalmi 77. auctore admitti posse non negauerim, cuius ingenii vim tantam fuisse vix concederem, quantum **L O W T H I V S** \*) illi tribuit; sed in prophetam nostrum vix cadere potest eiusmodi suspicio, qui in multis quidem antiquorum poetarum vestigia persequitur, at imitatoris minus quam aemuli nomine notandus \*\*). Restat igitur, ut alterum alterius scripta legisse et in suos usus conuertisse putemus. Sed tantum vincit propheta, tum ingenii excellentia, tum dictionis pulchritudine, psalmi auctorem, ut illum ab hoc aliquid mutuatum esse haud credam. Cum vero ex verso psalmi 16. constet, Assaphum cui

\*) De sacra poesi hebraeorum p. 514 - 517. editio-  
nis Goettingensis.

\*\*) Vid. **E I C H O R N I I** introductio in libros  
V. T. P. III. p. 381. **W A H L I I** commentarius  
p. 30 - 34.

cui titulus illum tribuit; autorem esse non posse, sed sequioris aetatis poetam hoc carmen compo-  
suisse, quid nos impedit, quo minus illum post  
Habacuci tempora vixisse, et vatis nostri oracu-  
lis tanquam typo vsum fuisse concedamus? Quin  
immo, si hoc concederetur, neque ultimi psalmi  
versus casu intercidisse viderentur, vterius ali-  
quanto progrediens coniecturae audacia, id etiam  
suspiciari posset, psalmi autorem aut tertio tan-  
tum Habacuci capite, sigillatim scripto vsum  
fuisse, aut si etiam in vniuersae materiae tractan-  
dae modo nostrum prophetam imitatus fuerit,  
eum saltem in apographum incidisse, quod vul-  
garis recensionis textum ita exhibuerit, ut theo-  
phaniae imagines, et apparentis numinis pictura,  
in fine collacatae fuerint.

Caeterum haec comparatio vaticiniorum Ha-  
bacuci cum psalmis eo etiam nos deducere pot-  
est, vt tum mentis statum, idearumque et af-  
fectuum, quibus, diuina prouidentia gubernante,  
animus vatum sacerorum plenus erat, ortum, et  
progressionem, atque effectus, clarius dispicere,  
tum carminum Habacuci dignitatem et excellen-  
tiam melius diiudicare possimus. Videmus ni-  
mirum ex hac collatione, praesentium malorum  
sensu animum vatis primo perculsum fuisse,  
cumque lectores, viuida calamitatum pictura,  
seusum.

sensuumque, quibus ipse affectus erat, expositione  
 poetica, iisdem motibus afficere voluisse. Dein-  
 de illum cogitasse diuini numinis sanctitatem et  
 benignitatem, quae scelera hostium, barbarorum-  
 que insolentiam victoriis auctam, tolerare neque-  
 at, cuius auxilium differri quidem, sed denegari  
 populo nullo modo possit. Hac meditatione re-  
 creatus nouam fiduciam alit, atque ita composi-  
 tus animo est, ut accipiendo oraculo diuino, et  
 reuelatione, per apparitionem numinis exhibenda,  
 dignus sit. Annunciatione huius oraculi, et de-  
 scriptione visionis, ciuium quoque suorum animum  
 deiectum erigit, et ad alendam spem atque fidu-  
 ciam firmat. Edit nunc vaticinia, minis et exhorta-  
 tionibus repleta, admonet suos, increpat hostes,  
 praesidium et liberationem e malis piis dei culto-  
 ribus promittit, poenas et interitum barbaris na-  
 tionibus, deo et populo dei infestis, minatur, spi-  
 rituque commotus iam reddi videt interuenientes  
 nomine iniurias hostibus, verum dei cultum euer-  
 tentibus, hominum sanctissima iura violentibus,  
 et pacatarum gentium quietem turbantibus. Sic  
 post tenebras et procellas, quibus praesentia vn-  
 dique obscurantur et agitantur, nouam lucem, futu-  
 rique temporis gratam serenitatem proficit, hilas-  
 rique animo meliora fata exspectat, quae felici-  
 tatem populo suo iterum afferant, et religiosis

verac

verae super idololatras gentes victorias augeant.  
Sic suos etiam, vt mala aequo animo ferant, deo-  
que confidant, et reliquas gentes, vt ab idolorum  
cultu desistant, Iehouamque, sanctissimum et au-  
gustissimum Ifraelitarum numen, venerentur, ad-  
monet.

Quae hactenus obseruata sunt, iisdem alia  
etiam loca V. T., pluraque carmina, vel singu-  
lorum mala deplorantia, vel vniuersae gentis ca-  
lamitates depingentia, illustrari posse arbitror, sed  
archi huius opusculi limites me impediunt, quo  
minus ea vterius persequi possim. Hoc tantum  
addam, quod ex praemissis animaduersionibus  
clarius elucebit, Habacuci vaticinia, quod ad in-  
genii poetici vim, et dictionis dignitatem et ma-  
gnificentiam attinet, medium, inter psalmum se-  
cundum et septuagesimum septimum, locum ob-  
tinere. In illo insignis breuitas, sermonis splen-  
dor, et sublimitas, qua prophetae carmen vinci-  
tur, in hoc vero omnia magis prolixa, et dilu-  
ta, quam apud vatem nostrum reperiuntur. Psal-  
mus 2. singularem ingenii vim, proprio motu  
sc̄ exferente, propheta magis studium, et in-  
genium lectione expolitum prodit, psalmi autem  
77. auctor fere totus ab aliorum imitatione pen-  
det, cumulandis locis communibus, et phraseos  
varietate delectatur, (cf. vs. 2. 3. vs. 4. 5. vs. 8.

10. vs. 12. 13.) et in fine demum ad altiorem sublimitatis gradum exsurgit, in describendis mirabilibus numinis facinoribus vs. 17 - 21. argumen-  
to quippe intentus, cuius exhortationi splendidissi-  
ma V. T. carmina decus singulare iam pridem,  
a Mosis inde temporibus, debere videmus.

Sed finem operi iam imponendum esse censeo,  
neque diutius illustrandis singulis poetae nostri effatis  
immorari me patientur arctiores huius opusculi  
cancelli. Auocat nimur ab incepto opere ani-  
mum rei ipsius, quae huic commentationi euangeldae  
occasione praebuit, significatio. Eo  
enim consilio haec a me scripta sunt, ut praele-  
ctionem publicam, in inaugurando doctoratus  
theologici munere habendam, quae coniuncta  
erit cum piae grataeque mentis erga Augustini-  
num huius Academiae Nutritorem, qui publici  
litterarum sacrarum Doctoris prouincia me fungi  
iam pridem clementissime voluit, testificatione,  
visitato more indicerem. Quare Magnificum aca-  
demiae Prorectorem; Comitem Iilustrissimum;  
litterarum diuinorum humanarumque Doctores Ce-  
leberrimos, et reliquos urbis nostrae Proceſes,  
et prænobilissimos genere, doctrina, et virtute,  
Cives Academicos, cum iis omnibus, qui Musis  
nostris fauent, ea qua decet pietate, obseruan-  
tia, et humanitate, rogatos esse cupio, ut me  
crastino die, de eo, quod præstandum restat in  
re critica Veteris Testamenti, verba facientem,  
benebole audire, et hunc actum solemnem præ-  
sentia sua ornare ne dedignentur. Scr. in Regia  
nostra literarum Vniuersitate d. 30 Oct. MDCCXCV.

6  
Id 6020

(I):

X 2284726

W318

Mr.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

White

3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SYMBOLAE CRITICAE

AD

INTERPRETATIONEM VATICINIORVM

HABACVCI

SCRIPTAE

INDICENDAE PRAELECTIONI PUBLICAE

IN INAUGURATIONE DOCTORATVS THEOLOGICI

HABENDAE

AB

HENRICO CAROLO ALEXANDRO  
HAENLEIN

PHILOS. DOCT. P. P. O. ET AEDIS ACADEMICAR.

ANTISTITE SACRO

ERLANGAE  
TYPIS KVNSTMANNIANIS  
MDCCXCV.